

5.

Nullum sine dote fiat coniugium; iuxta possibilitatem fiat dos: nec sine publicis nuptiis quisquam nubere vel uxorem ducere praesumat. (*Can. 6. c. 30. qu. 2.*)

III. E IURE FEUDALI LONGOBARDICO.

1.

Quidam habens filium ex nobili coniuge, post mortem eius non valens continere, aliam minus nobilem duxit: qui nolens existere in peccato eam desponsavit ea lege, ut nec ipsa, nec filii eius amplius habeant de bonis patris, quam dixerit tempore sponsaliorum, verbi gratia decem libras, vel quantum voluerit dare, quando eam desponsavit; quod Mediolanenses dicunt accipere uxorem *ad morganaticam*: alibi, lege Salica. Hic filiis ex ea susceptis decessit. Isti in proprietatem non succedunt, aliis extantibus; sed nec in feudo etiam aliis non existentibus: qui licet legitimi sint, tamen in beneficio minime succedunt. In proprietate vero succedunt patri, prioribus non existentibus. Succedunt etiam fratribus sine legitima prole decedentibus secundum usum Mediolanensium. (*II. Feud. 29.*)

2.

Imp. Henricus Aug. universo populo, etc. Si vassallus inhonestis factis atque indecentibus machinationibus dominum suum offenderit, insidiisque eum clan-